

**Propempticon inaugurale de spongia aqua repleta natante, eadem vero expressa et sic levioere subsidente.**

**Contributors**

Wedel, Johann Adolph, 1675-1747.  
Jena 1715.

**Publication/Creation**

Jenae, Literis Krebsianis [1715]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/h3pnmg2k>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

32.  
34

IOANNIS ADOLPHI  
WEDELII,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS, PROFESSORIS  
PVBLICI ORDINARII, MED. PROV. SAXO-VINAR.  
AC CIVITATIS IENENSIS PHYSICI,

FACVLTATIS MEDICÆ  
h. t. DECANI,

*Propempticon Inaugurale*

D E

SPONGIA AQVA REPLETA  
NATANTE, EADEM VERO EX-  
PRESSA ET SIC LEVIOR E  
SVBSIDENTE.

---

J E N Æ  
LITERIS KREBSIANIS.



I. N. I.



Um, vbi desinit Physicus, ibi incipiat Medicus, necessarium omnino est, vt physicarum quoque rerum gnarus sit, qui in medicina progressus rite facere cupit. Quanquam enim haud desint, qui multa ex physicis ad medicinam relata, tanquam inutilia & proprie ad eam non pertinentia, reiiciunt, vix tamen locum huic opinioni dabunt, qui perspiciunt, vltra vulgus sapere debere medicum.

Quæ enim in physicis occurrunt, partim talia sunt, sine quibus ne intelligi quidem, quæ in medicina traduntur, queunt, partim eiusmodi deprehenduntur, quæ acunt ingenium, omnia vero ad cognoscendam Diuini Numinis potentiam & sapientiam faciunt, quam mirari & venerari in primis etiam debet medicus.

Non iam eorum faciemus mentionem, quibus carere medicus nullo modo potest, sed, quomodo reliqua, quæ ad medicinam nihil pertinere videntur, aptiorem medicinæ reddant, paucis perspicere lubet.

Nihil magis a medico bono requiritur, quam promptus & alacris animus ad eruendas phænomenorum in ægris occurrentium causas, vt postmodum simili alacritate remedia conuenientia inueniat, & rite applicet.

Quod si hinc exercitatus quis sit, phænomenorum in physicis occurrentium causas rite indagare, is optime præparatur, vt, fundamentis medicinæ rite positis, similem inuestigationem prompte instituere in praxi sua adsuescat. Facile

cile autem ex his intelligi potest, etiam in physicis nullo modo sufficere experientiam, sed & hic quoque maxime iungendam esse rationem, ut perfecta obtineatur cognitio ac utilitas.

Magnum incrementum hodie physica scientia acquisiuit per experimenta, quæ copiosius ac olim instituuntur, sed, si in experimentis solis acquiescamus, nec rationem eorum & usum addamus, exiguam utilitatem extra medicinam, in medicina plane nullam, fere præstant, unde causarum explicatio & inuestigatio debet nobis esse quam commendatissima.

Non inutile esset, sed ad iudicium acuendum maxime aptum, si illis, qui aliquos in hac scientia progressus fecerunt, talia experimenta proponerentur, quorum causæ non statim patent, ut vires ingenii tentarent, atque phænomena ad causas suas reuocare conarentur. Ita enim efficeretur, ut non solum alia difficiliora facilius intelligant, sed etiam ad veritatem & noua inuenienda aptiora redderentur ingenia.

Non raro autem usu venit, ut talia sponte se offerant, si vel labores chemicos, vel alios subeamus ad experimentalem philosophiam pertinentes, ut adeo illis, qui exerceri in his volunt, occasio vix deficiat.

Ita ante aliquot tempus quidam operationibus chemicis operam dantes e vesica cuprea aquam quandam destillarunt. Cumque ignis, ut in principio plerumque in hoc peccari solet, iusto fortior esset administratus, rarefactionem nimiam restinguere cupientes spongiam aqua frigida imprægnatam alembico imposuerunt, ebullitione vero sedata, vasi aqua pleno immiserunt. Spongia aquæ iniecta supernatauit eiusdem superficiæ, quod etiam eueniebat, cum idem repeteretur. Quidam vero eximens forte spongiam & aquam contentam manu exprimens eandem aquæ iniectam subsidere obseruauit, cum tamen antea semper in superficiæ aquæ hæserit.

Nouitate rei motus denuo manibus eam ex aqua extraxit, & sine expressione aquæ iniectam iterum innatare, expressione autem aquæ præmissa, iterum fundum petere perspexit. Cumque dictus effectus posita vel omissa expressione semper responderet, de causa huius rei deliberatum fuit, quæ eo difficilius erui poterat, quia maxime obstabat, quod idem numero corpus grauius existens nataret, leuius vero redditum submergeretur. Eadem enim sponsia aqua repleta, & sic grauior reddita, haud descendebat, expressa vero aqua, & sic leuior euadens, ad fundum abibat.

Quanquam vero de pumice notum fuerit, quod totus aqua innatet, puluerisatus vero descendat, haud tamen inde huius rei causa reddi potuit, adeoque, cum quidam illorum ad me quoque accederet, & desiderium suum explicaret, instituire idem experimentum non dubitavi, & rem ita se habere, expertus sum, igitur vt & ipsis ac mihi satisfacerem, causam inuestigare cepi.

In sponsia diuersitatis huius causam hæere, exinde videre licet, quod in aqua nulla mutatio fiat, sed vnice in sponsia, quæ pro repletionis vel expressionis varietate vel natat vel descendit. Admodum porosum corpus sponsiam esse, porosque eius & maiores & minores existere, visui patet. Minores pori parietibus maiora foramina constituentibus insculpta sunt, quod itidem intuentibus statim manifestum redditur.

Textura hac cognita porro obseruare debemus, quod, si sponsia aqua imprægnetur & simpliciter eximatur absque pressione, ex poris maioribus aqua sponte effluat, in minoribus vero permaneat, cuius rei ratio ex tubulis vitreis minoribus nota esse potest, in quibus, vtrinque licet apertis, liquor tamen permanet. Maiores autem in poros loco aquæ effluentis aer recipitur.

Quod si igitur sponsia ita constituta aquæ iniiciatur, tunc aer in poris maioribus existens, minus cedit, nec ac-

cessum aquæ in hosce poros admittit, adeoque aer in poris maioribus hærens cedereque non valens vna cum spongiæ corpore sub eadem mole, quam spongia & aer constituunt, leuior est aqua, ideoque supernatat.

Aerem autem in poris maioribus permanere, nec ab aqua expelli, ostendunt quælibet vasa ita aquæ immersa, vt orificium præuium statim ab aqua tegatur totum, aqua enim ipsa tunc aeri exitum præcludit, cum, quo cedat, spatium haud relinquatur, id quod etiam campanæ vrinatoriz fundamentum est. Neque enim pori minores aerem ex maioribus recipere possunt, cum ab aqua ibidem permanente per superius dicta occlusi sint, adeoque maiores pori in spongia aqua imprægnata nec expressa aerem retinere coguntur.

In spongia vero, quæ manibus comprimitur, alius con-  
surgit status, aqua enim in minoribus hærens poris maximam partem expellitur, adeoque aer eius loco recipitur, vt hinc libere ex maioribus in minores & ex minoribus in maiores aer leuissime pressus penetrare & cedere valeat. Iniecta itaque aquæ spongia expressa, aer in poris maioribus & minoribus hærens a pondere ipsius spongiæ successiue sursum versus premitur liberum exitum habens, poris enim omnibus apertis impedimentum nullum amplius adest, hinc omnes pori maiores & minores aere omni fugato aqua replentur, grauiorque sic euadit spongia, quam si plurimum aeris in se contineret, vnde submergitur ac fundum petit.

Quod vero simili modo aqua in poris minoribus hærens haud expellatur, partim leuitas ipsius spongiæ, partim vero ipse aer in poris maioribus vbique interpositus, facit, vti in canalibus maioribus quoque fieri solet, in quibus aer interpositus aquæ transitum impedit, quod ex hydraulicis notissimum est. Ratio igitur satis patet, cur grauior in aere apparens spongia natet, leuior vero visa descendat.

Præmittere hæc volumus Dissertationi Inaugurali de  
NATURÆ SOLERTI SANITATIS CONSERVATRICE Clarissimi  
Medicinæ Candidati

## IO. FRIDERICI HOFFMANNI.

Is patriam nactus est Gerabronnam Marchionatus Onoldini oppidum, vbi Anno MDC LXXXVIII. d. XVIII. Decembr. honestis parentibus ortus est. Pater ipsi fuit Dn. IO. MATTHIAS HOFFMANNVS, Præfectus illius loci & locorum finitimorum ad hanc præfecturam Werdeccensem spectantium, iam pridem beate defunctus, filius eiusdem præfecturæ per multos annos Præfecti ANDRÆ HOFFMANNI. Mater eius adhuc in viuis est MARGARETHA BARBARA, filia Dn. WOLFFGANGI BAVERI, Iudicii Prouincialis Onoldini a Secretis iam dudum beati.

Omnes carissimi parentes adhibuere operam, vt fundamenta pietatis & bonarum artium animo eius recte instillentur. Qua in re viri maxime reuerendi, IO. FRIDERICI SPENGLERI, Decani Capituli Krailsheimensis & Templi cathedral. Antistitis, susceptoris & Cognati sui honoratissimi, singularem operam, amorem & beneuolentiam laudare satis non potest. A prima enim ætate in hospitium eius receptus, amore & beneficiis innumeris per quinquennium fatus, multis diuinis & aliis salutaribus præceptis imbutus fuit, eiusque sedulam curam & beneuolentiam in hunc vsque diem experitur. Non minorem in curam nostrum educandi incubuit honoratissima matrona vxor laudati viri carissima, multisque eum hucusque cumulauit, beneficiis, vt adeo ipsis parentum instar se obstrictum esse, gratus profiteatur.

Scholæ Krailsheimensis collegis viris nobilissimis, in primis eiusdem Rectori, MARTINO RITTERO pro fideli per quinque annos informatione gratum profitetur, animum. Hinc ad illustre Gymnasium Heilsbronnense missus, ibique a Serenissimo Principe, Marggrafio Brandenburgico, Patriæ Patre Clementissimo, in numerum alumnorum adscitus, viris de re literaria meritissimis, Præcepto-

ptoribus & Professoribus Gymnasii præstantissimis, Io. FRIDERICO KREBSIO, Antistiti, Gymnasii Inspectori ac Professo-  
ri, summis, quos Baruthum dare potuit, sacerdotii hono-  
ribus affecto, itemque M. SYLVESTRO HENRICO SCHMIDIO,  
Reктору, & NICOLAO SCHVLINO, Conrectori, per quinquenni-  
um fuit traditus, quorum in informando dexteritatem,  
gratissima mente agnoscit.

Iactis sic humanitatis & philosophiæ fundamentis Wit-  
tebergam concessit Anno M DCC X d. XXVII. Maii Pro-  
Rektore Magnifico HENRICO LEONHARDO SCHVRTZFLEISCHIO,  
Historiar. P. P. Consiliario Saxo-Vinariensi & Principal.  
Bibliothecæ Directore, ubi medicinæ addiscendæ cupidus, pri-  
uatissimæ informationi Excellentiss. Dn. D. ADAMI BRENDELII,  
Med. tunc temporis Prof. Extraordinar. nunc Anatom. &  
Botan. Ordinarii, in cursu, vt vocant, medico & lectio-  
nibus physicis experimentalibus se concredidit, eiusque amo-  
rem & in informando integritatem grato recolit animo.

Publicis lectionibus Excellentissimorum Virorum, Dn.  
D. Io. GOTHOFRED. BERGERI, Potentiss. Polon. Regis & E-  
lector. Sax. Archiatri & Prof. Primarii, de Pestilentia, de  
Selectu Remediorum, Dn. D. CHRISTIANI VATERI, Pathol.  
Prof. P. & Sereniss. Princip. Anhalt. Archiatr. ac Phys. Prov.  
Sax. & Dn. D. Io. HENRICI HEVCHERI, Anatom. & Botan.  
Prof. Publ. Botanicis & Anatomicis, huiusque duabus  
sektionibus publicis in masculino & fœminino cadauere dex-  
terime adornatis, interfuit.

Finito cursu medico priuatissimo Salanam nostram ad  
continuanda studia elegit, ubi Pro-Rektore Magnifico, Dn.  
D. BURCARDO GOTTHELFIO STRVVIO, Iurium & Historiar.  
P. P. Consiliario & Historiographo Saxonico Celeberrimo,  
anno M DCC XII. d. XXVII. Iulii in numerum studioso-  
rum receptus fuit. In lectionibus publicis Chirurgiam  
Medicam, Amœnitates Materiæ Medicæ, Pharmaciam a-  
croamaticam, Methodum Præscribendi formulas, Physio-  
logiam acroamaticam, Priuatim vero Morbos infimi ven-  
tris





tris ex Epitome Praxeos Clinicæ, Aphorismos Hipocratis  
nouos Sponianos & Collegium simplicium explicantem assidue  
sectatus est Dn. D. GEORGIVM WOLFFGANGVM WEDELIVM,  
Theor. P. P. Com. Pal. Cæs. Consil. & Archiatr. Duc. Sax. h. t. Pro-Rectorem Magnificum.

Magno quoque cum emolumento audiuit Dn. D. IO. HADRIANI SLEVOGTII, Hered. in Ober-Rosla, Anat. Chirurg. & Botan. P. P. & Medici Ducal. Prouincial. Excellentissimi, Collegium Chirurgicum publ. & priuatum, Botanicum publ. & priuatum, itemque Chymico-pharmaceuticum priuatum, eiusque in se fauorem & beneuolentiam gratissimo animo deprædicat.

Adhæc Excellentissimi Dn. GEORGH ALBERTI HAMBERGERI Philosoph. Natural. & Mathes. P. P. celeberrimi collegium Experimentale Curiosum; & Dn. D. HILSCHERI lectiones anatomicas frequentauit.

Meis etiam lectionibus publicis, de morbis mulierum, de remediis ex Tartaro parandis, de Febris, de Supremi, Medii & Infimi Ventris Morbis, vt & sectioni cadaueris masculini publicæ, interfuit.

Hisce absolutis a Facultate nostra in numerum Candidatorum vt recipiatur, modeste petiit. Admissus ad examina genuinum ac dignum artis filium se præstitit, vnde & cathedram publicam sub Excellentissimi Dn. D. SLEVOGTII PRÆSIDIO conscendet, & Dissertationem Inauguralem laudatam mascule defendet. Huic actui solenni, vt Magnus Dn. Pro-Rector, Procures Academiæ Excellentissimi, artisque nostræ Fautores beneuola sua præsentia splendorem addere haud dedignentur perofficiose atque amanter rogo. P. P. sub sigillo Facultatis MDCCXV. a. d. Sept.

